bus curis involutus hæſerim, non ſemel audiviſti: Ab ejusmodi autem homine vividum aliquid & quod cogitationes vulgi excedat proficiſci poſſe, neque tu credis, NÜSSLERE, neque quisquam alius, qui remoto livore divinæ artis ſublimitatem paullò accuratius ſecum perpendit. Propter ſolum itaque argumentum, circa cunas dulciſſimi Servatoris noſtri occupatum, hæc amabis: aut ſi inibi quoque aliquid aliud boni invenies, hocipſum etiam eidem unicè aſſcribes, absque cujus auxilio nihil uspiam efficere mortales poſſe nemo Chriſtianorum ignorat. Vale, frater jucundiſſime, cum Ampliſſimo Kirchnero noſtro, & hoſtes literarum fortiter nobiſcum contemne. Lignicii, Propr. Cal. Januarias, Anni M. IↃC. XXIV.